

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: §. VIII.

Citation: Ewald, Johannes: "§. VIII.", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 122. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-ewald03val-shoot-idm140321582102256/facsimile.pdf> (tilgået 17. september 2021)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter

superfluum, quum tot tantique viri ante me, quæcumque de iis dici possunt omni numero absolverint.

## §. VII.

Ut vero in notione artis hujus evolvendâ ipsius 5  
artis magistri; ita quoque in laudibus illi tribuen-  
dis vel detrahendis toto cœlo discrepant reliqui.  
Sunt, qui plane contemnunt. Horum plerique vel  
sunt Maecenates, docti quidem interdum, sed om-  
nia, quæ ad poësin spectant, fastidientes, dum sci- 10  
licet ab istis quibus quotidie obruuntur nœniis ad  
reliqua artis concludunt: vel etiam divites morio-  
nes, qui dum ex paupertate complurium Poëta-  
rum de artis utilitate judicent, eam flocci putant:  
vel denique docti quidam superbiores, qui, si la- 15  
bores suos Herculeos, cum leviusculis Poëtarum  
jocis, ut loqui solent, forte comparare instituunt;  
nihil plane utile, nihil erudito homine dignum in  
poësi inveniunt. Horum, cum invidiâ ducantur,  
omnium sine dubio acerrimum est odium. Missos 20  
vero hosce facimus, quum & supra poëseos usum  
ipsi evicerimus, & sapientioribus quibuscumque  
constet, falli qui ultimum eruditionis gradum Poe-  
si debere asserunt. Falluntur vero etiam alii, qui  
nimis laudibus artem hanc ad cœlum usque tol- 25  
lunt. Ut vero abunde pateat, quæ quantæque lau-  
des bono partibusque suis rite fungenti poëtæ debe-  
antur, attributa ejus necessaria pariter ac officia,  
exponam ut potero brevissime, totus hæc in re  
Marmontelium secuturus. 30

## §. VIII.

Dotes igitur poëtæ necessariæ sunt intelligentia,  
phantasia & vires animi sentientes. Hæ quidem in  
poëta ita nato præminent & dominantur, sed nisi 35  
lumine illius iuventur, sæpissime errant. Intelli-  
gentiæ vires pro variis poëseos generibus varie  
sese exserunt; quæque facultatum animi habet,  
ubi regnet carminum genus. Altitudo animi cerni-

tur in Odâ carmine Epico & Tragœdia: facilitas in Epistolis familiaribus: acumen in Epigrammate: in Comœdia omnes fere sese exserunt vires. Facultatem præterea habere debet sui ipsius obliviscendi, induendi personam illius, quam pingere vult, illius mores cupiditatesque adsumendi, eosque sermones usurpandi, eaque agendi, quæ si ille ipse adesset ageret & usurparet. Hæc facultas, consuetudine hominum, naturæ consideratione & exemplorum cujusvis generis imitatione formatur: ab ipsa natura vero acceperit necesse est poeta animum tenerum, cereum flecti & efficacem. Sensu seu gustu veri & pulchri gaudeat. Hic suâ naturâ non differt a sagacitate ingenii animique facultate sentiente connatâ, quod vero ab arte accedit, studio & usu sibi acquirit poeta. Judicium aurium imprimis ad eum pertinet. Præter cognitionem artis ipsius tam quod ad regulas, quam quod ad exempla, Poeta se ipsum nosse debet ingeniique vires habere exploratas, atque ita, an sibi Musæ faveant necne, intelligere. Lingvæ cognitionem habeat perfectissimam. Hominem in primis cognoscat, neque nudum tantum, sed quam consuetudo, pro loci & temporis differentiâ, naturæ simplicitati mutationem & faciem attulerit. Huc pertinent religio, leges, disciplina, mores, diversæ imperiorum formæ cetera. Mores imprimis hominum respiciat. Naturam & simplicem & arte, ut ita loquar, emendatam habeat cognitam. Mythologiæ nequaquam debet esse ignarus. Veteres pariter ac recentiores poetas sibi familiares reddere, omniumque artium cognitionem sibi utilem credere debet. Ex hisce quæ pluribus in sæpe nominato Marm. exponuntur, satis patere credo, poetæ, qui & dotibus arti suæ necessariis præditus est, & dotes hasce justo more excoluit, haud ultimas laudes deberi; immo poesin haud immerito, si non ad utilissimas tamen ad difficillimas artes referri.

§. IX.

Ante vero quam hæc qvælibet fuerint de  
poësi Meletemata finivero, ex nuper allatis boni  
Poëtæ requisitis duo monita non possum non eli-  
cere. Sunt scilicet, qui invito etiam Apolline Par-  
nassum scandere volunt. Hi licet omnibus naturæ  
dotibus carcant; hunc defectum lectione sedulâ  
assiduis meditationibus immo anxio sudore emen-  
dare student. His dictum volo: Poëtam nasci; non  
feri. Sunt alii, excellenti ingenio, omnibusque,<sup>5</sup>  
quæ natura ad Poëtam procreandum suppeditare  
potest, præditi; qui vero connatis dotibus freti,  
omnia ad illas excolendas necessaria pro-  
sus omittunt. Hi persuasum sibi habeant:  
*Bonum Poëtam fieri non nasci.*<sup>15</sup>